buit paulus qui ait: sic enitor non ut aerem cedens. Aera quidem
non cedebat apostolus, sed potestates aerias verberabat. Sed castigo
inquit corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum a
liis praedicaverim, ipse reprobus inveniar. Simul infirmita
tem suam diabolus malitiamque designat, quia nemini potest no
cere diabolus, nisi ipse se miserit. Nam qui relictis caelestibus terre
na eligit, voluntarium quoddam praecipitium vitae labentis in
currit. Simul quoniam telum suum diabolus vidit obtunsum, qui
omnes homines propriae subiecerat potestati, plus coepit quam ho
minem iudicare. Sed dominus rursus nec ea quae de se fuerant pro
phetata ad arbitrium diaboli putavit esse facienda, sed divi
nitatis propriae auctoritate servata versutiae eius occurrit,
ut qui scripturarum exemplum praetenderat, scripturarum vinceretur
exemplis. Potestas enim est deo vincere, scripta mihi vicit. Di
sce hic quoque quia satanas transfigurat se velut angelum lu
cis, et de scripturis ipsis saepe divinis laqueum fidelibus parat.
sic haereticos facit, sic eviscerat fidem, sic iura pietatis im
pugnat. Ergo non te capiat haereticus quia potest de scripturis
aliqua exempla proferre, nec sibi arroget quod doctus vi
detur. Utitur et diabolus testimoniis scripturarum, non ut do
ceat, sed ut circumscribat et fallat. Cognovit aliquem attentum re
ligioni, virtutibus clarum, signis et opibus praepotentem, iactanti
ae tendit laqueum, ut huiusmodi virum inflet tumore, quo pie
tati se non credat, sed credat iactantiae, nec deo deputet, sed sibi
arroget. Ideoque apostoli non in suo, sed in Christi nomine demoniis
imperabant, ne arrogare sibi aliquid viderentur. Sic Petrus
paralyticum curat dicens: in nomine Iesu Nazareni sur
ge et ambula. Disce et de Paulo fugere iactantiam. Scio in
quit hominem sive in corpore sive extra corpus nescio, deus scit,
quoniam raptus est in paradisum et audivit verba ineffabilia